

vem Venetum, qui pueri nomine jus diceret: ipse autem puer equites cataphractos centum haberet, stipendiumque in eos libras auri annuas octoginta. neque non tamen, antequam decerneretur, iisdem exulibus Florentinorum adjutis ope in eorum fines irrumpentibus, Bernardus Contarenus, qui Ravennam venerat cum Græcis equitibus militumque manu auxilio a Senatu missus, eos fudit fugavitque; ac regnum illud puero, quod jam prope amiserat, plane constituit. pauloque post Patrum suffragiis Dominicus Trivisanus, vir gravis atque prudens habitus, qui puerum Senatus nomine tueretur, oppidanisque jus diceret, legatus est Faventiam profectus. Atque ante eos quidem dies, uti horologium in foro ex reipublicæ dignitate fieret, cui ædis Marciaë procuratores aream darent, Senatus censuit.

*Horologium
in Marcia-
no foro po-
situm.*

At Ferdinandi legati cum multos dies Patribus placandis consumpsissent, pollicitique essent, Ferdinandum tria oppida nobilissima cum eorum agris atque finibus, Trantum, Brundisium, Hydruntum, eo quo dictum est nomine reipublicæ traditurum: anni insequentis initio fœderatorum omnium non approbantibus modo, sed etiam adnitentibus legatis, pacta inita, fœdusque percussum est: quo civitas fœdere traditis oppidis equites cataphractos septingentos, milites ter mille ad Ferdinandum mittere celeriter teneretur, qui una cum ea classe, quam Neapolim Contarenus legatus adduxerat, tandiu ejus imperata facerent, quoad bellum esset confectum. capitaque fœderi sunt addita, uti a quæstoribus urbanis libræ auri centum quinquaginta mutuæ Ferdinandi legatis evestigio curarentur: uti si parte aliqua Ferdinandus Græcis equitibus, quam cataphractis, uti mallet, pro eo cataphractorum numero, quem de summa detraxisset, Græcos sesquialteros haberet: uti ex publicis oppidorum proventibus, si quid in magistratuum & præsidiorum stipendia factis impensis superesset, id in accepti a Ferdinando tabulis ferretur: uti quenque eo in regno virum principem civitas in fidem, nisi Ferdinandi permisso, ne reciperet: uti fru-

1496
*Venetorum
cum Nea-
politano re-
ge fœdus.*

men-